Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



166
172
173

in caritate radicati et fundati ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum: scire etiam super eminentem scientiae caritatem xpi: ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Et autem qui potens est omnia facere super habundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem quae operatur in nobis. ipsi gloria in ecclesia et in xpo ihu in omnes generationes secli seculorum amen. Gradualis Timebunt gentes nomen tuum domine et omnes reges terrae gloriam tuam. Quoniam aedificavit dominus sion et videbitur in maiestate sua. Alleluia. In exitu israel de egipto domus iacob de populo barbaro. Facta est iudea sanctificatio eius

In illo tempore. Ibat iesus Sequentia secundum lucam in civitatem quae vocatur naym et ibant cum illo discipuli eius et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portae civitatis: ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Et haec vidua erat: et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset dominus misericordia motus super eam dixit illi. noli flere. Et accessit tetigit lorculum. Hi autem qui portabant steterunt. Et ait. Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus et coepit loqui. Et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor: et magnificabant deum dicentes. quia propheta magnus surrexit in nobis: et quia deus visitavit plebem suam. Offertorium Domine in auxilium meum respice confundantur et revereantur qui quaerunt animam meam ut auferant eam. Secreta Munda nos quaesumus domine sanctis tuis mysteriis et praesta misericors in nobis ut eius mereamur esse participes. Communio Domine me